

tate et plenâ devotione perficiam, perque eius continuum et salutiferum usum, vestro digno consortio tandem inveniar. Amen.

15. *Conclusio.* Domine Deus meus, modica, heu! nimis et imperfecta valdè est ista ad omnium *grandius opus* praeparatio mea. Ideirco offero tibi sanctitatem et virtutes dilectissimi Filii tui, simulque beatae semper Virginis Mariae et omnium Sanctorum fervorem et devotionem, ut illorum merita suppleant quidquid mea non valet infirmitas. Suscipe propitius et miserere. Amen.

VARIA PRAEPARATIONIS AD MISSAM EXERCITIA,

pro singulis hebdomadae diebus.

Quoniam non possunt omnes habere unum exercitium, sed aliud isti, aliud illi magis deservit, et etiam pro temporis congruentia, diversa placent exercitia; ideo sequentia hic inserere visum est expedire, ex quibus hoc quisque seliget quo se magis affici miserit.

DOMINICA DIE.

Accessuri ad sacrum convivium, in quo Christus ipse sumitur, non immeritò Christi quoque verba, et ipsam, quam de sacro illius ore hausimus, orationem, velut benedictionem mense praemitemus. Sacerdos quidem, in missa, paulò ante communionem eam recitat; sed in ea ante missam perutiliter quoque meditabitur; qui et communicaturus quisque hinc facillè pios affectus hauriet. Dicamus ex intimo animi sensu:

Pater noster,

potentissime, sapientissime, clementissime, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito esurientes reple, et quae creâsti omnia tam paternè et mirabiliter alis, foves ac conservas; ecce et ego unus, licèt vilissimus, filiorum tuorum, confidenter nunc levo oculos meos ad te, *qui es in coelis*, ut tu paternae benevolentiae oculis respicias super me miserum et inopem, procul agentem à facie Patris, inter filios Evae, in valle lacrymarum, exsulem et pere-

grinum super terram, et suspirantem ad te dulcissimum Patrem meum. Quid verò nunc potissimum petam à te? nisi ut

1.º *Sanctificetur nomen tuum.* Hoc enim est praecipuum votum et desiderium cordis mei, ut omnia quae facio, dico, cogito, cedant ad maiorem gloriam nominis tui. Et nunc praecipuè cum ad sacra mysteria corporis et sanguinis Filii tui venio, hoc unum intendo, hoc unicè desidero, ut laudetur suprema maiestas, potestas, bonitas et sapientia tua; cui debetur ab omni creatura omnis honor et gloria, aeterna laus et gratiarum actio, quia sic dilexisti nos, ut Filium tuum unigenitum nobis dares, et in cibum, et in salutis pretium. Pro quo, cum dignè à nobis laudari nequeas, utinam ipse Filius tuus clarificet te. Nam et tu exaltasti eum super omnia; et dedisti illi nomen quod est super omne nomen.

2.º *Adveniat regnum tuum,* cuius regni felicitatem ac delicias in hoc Sacramento praelibamus. Dedisti enim nobis, in pignus futurae gloriae, corpus et sanguinem Filii tui, et sic nos quoque per gratiam adoptionis fecisti tibi haeredes, cohaeredes autem Christi.

Interim verò, dum adhuc in exsilio peregrinamur à Domino, fac nos sic uti hoc sacro pignore, ut in dies, magis magisque in nobis proficiat regnum tuum gratiae; et tandem perveniat in nos regnum tuum gloriae.

3.º *Fiat voluntas tua.* Quae est autem voluntas tua, nisi sanctificatio nostra, maximè cum accessuri sumus ad haec Sancta Sanctorum? Vis etiam ut manducemus carnem Filii hominis, et bibamus eius sanguinem; aliàs non habituri vitam in nobis. Quis autem hoc facere praesumeret, conscius infirmitatis suae, nisi id tam amanter et dignanter tu unà cum Filio velles et praeciperes? (Nam idem est utrique velle, idem posse). Quia ergo ita vis, fiat quod vis, et quomodo vis. Nempe sanctos nos esse vis, quia sanctus est, imò Sanctus Sanctorum, ad quem accedimus, Filius tuus. Sed quis sanctum faciet, nisi tu? Da quod iubes. Fac ut sancta non tractemus nisi sanctè, castè et religiosè. Unde,

Sicut in coelo, Sancti pleno ore, puro corde, et arden-

ti desiderio manducant hunc panem vivum revelatâ facie; ita et nos in terra, magno desiderio et puro affectu comedamus eum sub speciebus velatum, donec et nos cum electis fruamur illo in propria specie, et satiemur ab ubertate domûs tuae.

4.º *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Oculi enim omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno. Tu aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione; et mihi deesse poteris! Scis autem, Domine, quia non minus anima quam corpus cibo reparari indiget, ut vivat. Nam sicut illud naturalis calor, sic hanc aestus concupiscentiae continuo depascitur. Sed, ô felices filios, qui in domo tanti Patris (Ecclesia) sic abundant panibus! Hic panis gratiae et verbi Dei copiose frangitur. Hic panis Sacramentorum, et praesertim panis ille vivus, qui de coelo descendit, qui natus in Bethlehem, id est, in domo panis, panis Angelorum, manna coeli, omnibus apponitur. O pretiosa et nobilis esca! O grandis aeterni Patris caritas et misericordia! Mihi enim non serenti, neque mententi, neque horrea habenti, frumentum electorum, et panis vitae è coelo datur. Tu, Domine, seminasti illum in terris; mortis falce messuisti; tu eum in horreo Ecclesiae tuae nutriendis filiis tuis totum exposuisti.

Da mihi ergo, benignissime Pater, ut hoc pane saepius dignè reficiar; imò etiam quotidie (*si non sacramentaliter, saltem spiritualiter*) recipiam, quod quotidie mihi prosit, nam quia peccatis deficio quotidie, meritò etiam quotidie remedium accipio, quod vires reficiat. O utinam hoc coelesti pane et viatico ita sustentet, in hoc deserto, ut in fortitudine cibi illius ambulem usque ad montem Dei!

5.º *Et dimitte nobis debita nostra.* Heu! quam multa et gravia! in multis enim offendimus omnes; verè miseri nos et inopes, solvendo pares non fuimus, nec sumus.

Sed ecce, Domine, apud te est misericordia, et copiosa apud Filium tuum redemptio, quem nostri misertus, dedisti nobis. Ille iustus, impollutus, et innocens per

omnia; quod nos debuimus, ille solvit; quod nos peccavimus, ipse luit, et iustitiae tuae abundè satisfecit, donans nobis immensum thesaurum meritorum suorum, et infinitum pretium sanguinis sui.

Hoc autem totum pretium, velut depositum habemus in pretioso sanctissimi Sacramenti scrinio reconditum. Hunc ergo thesaurum nunc offero tibi, ô Pater aeternè! ut inde capias quantum exigis à me pro debitis meis. Ego unde solvam, non habeo; at Filii tui superabundant merita, ut inde nostra solvantur debita.

Propter hunc itaque dimitte nobis, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Dimittimus, inquam, ne fortè extra vinculum caritatis indignè tractemus Sacramentum pacis et unitatis, et frustra à Deo quaeramus medelam, si homines hominibus reservemus iram. Quae enim nobis communicatio in corpore et sanguine Domini, si membris corporis eius mystici, id est, proximis nostris, communionione pacis et amoris non coniungimur?

Oportet nos utique, cum accedere volumus ad altare, priùs reconciliari fratribus nostris, si quid habent adversum nos, et sic venire ad offerendum munus nostrum. Hoc Filius tuus nos et facere docuit, et ipse fecit. Nam pendens in cruce, et solvens omnium debita, dimisit inimicis suis, et pro tortoribus te supplex oravit, dicens: Pater, ignosce illis, etc. Dimitte mihi itaque debita mea, pro quibus Filius tuus offert merita sua, his enim seclusis, si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit?

6.º *Et ne nos inducas in tentationem.* O Domine, qui parâsti in conspectu nostro mensam adversus omnes qui tribulant nos, et panem apponis hic, qui cor hominis confirmet adversus omnes tentationes mundi, carnis et diaboli, da mihi, per cibum coelestem et vivificum, vires et robur, ut tentatus non succumbam, sed tibi constanter adhaeream. Non studeam esse amicus huius mundi, aut conformari huic saeculo, sed virtute coelestis cibi transformer in te, ut uni tibi placere cupiam et displicere timeam. Sordeat mihi terra, quia hic coelum intueor, et mundi totius Dominum complector. Nihil me

carnis deliciae moveant, cui carne Agni immaculati, et mannâ coeli vesci datur, in quo delicias longè maiores, et omnem vaporis suavitatem invenio. Daemon verò quid poterit in me, quando mecum est Deus? Si autem Deus pro nobis, quis contra nos?

7.º *Sed libera nos à malo.* Multis enim in hac vita casibus et miseriis obnoxii sumus: ea verò censentur mala, quatenus nos fragiles deiciunt et abstrahunt à te; abduci autem à te, id est, summo bono, hoc utique est summum malorum. Quis verò liberabit nos ab hoc malo, nisi tu fons omnis boni, et quem nobis dedisti advocatum apud te, omnisque salutis et felicitatis auctorem, *Iesus Christus*, qui nos à peccato et à morte liberavit in sanguine suo? Hoc mediatore, fac ut omnia nobis coeperentur in bonum; quia non est nobis in alio aliquo salus. Is ergo, ut verè praesens est in hoc Sacramento, ita nobiscum sit ubique, ille nos pascat, regat, conservet, protegat, ducat, pro clementissimo suo beneplacito, velut oves pascuae suae: quidquid nobis evenerit, malum non erit, si non separet nos à summo bono. Nam mihi adhaerere Deo bonum est, etc. Quid enim mihi est in coelo, et à te quid volui super terram, etc.

Poterit haec meditatio Orationis Dominicae, ut ante, sic post missam aut communionem esse usui.

FERIA II.

ORATIO DOMINICA,

iuxta quatuor sacrificii fines, ad usum tum celebrantium, tum communicantium, accommodata.

Pater noster, qui es in coelis. Domine, sancte Pater, qui legalium multitudinem hostiarum, in unius sacrificii novae legis hostia conclusisti, quique nobis in dilecto Filio tuo, Sacerdote magno, et summo utriusque Testamenti Pontifice, perfectae oblationis exemplar, secundum quod nos faceremus, ipse in monte Calvariae monstrasti, fac, quaesumus, ut per gratiam tuam fiamus conformes ima-

ginis Filii tui, qui nobis similis fieri dignatus est in forma servi.

Et sicut ille semetipsum cruento modo in cruce quoad corpus et animam, secundum ritum Aaronis; et incruento modo, secundum ordinem Melchisedech, in ultima coena, tibi aeterno Patri suo obtulit; ita nos eius exemplo, corpora nostra in hostiam viventem, sanctam, tibi placentem, et rationabile obsequium quotidie offeramus: animam quoque et omnes eius vires ac potentias, in *holocaustum* laudis, in sacrificium *eucharisticum* pro donis acceptis, in *impetratorium* pro accipiendis, et denique in *propitiatorium* pro peccatis immolemus.

I. **LATREUTICUM.**—*Sanctificetur nomen tuum.* Domine Iesu Christe, qui aeterni Patris amore, non tuam, sed illius in omnibus et per omnia gloriam quaerens, tradidisti temetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, laudo et adoro ex toto corde meo summam tuam potentiam, bonitatem, sapientiam, iustitiam, misericordiam, etc., quae in hoc sacrificio, et opere redemptionis, mirabiliter elucet.

Gaudeo per hanc oblationem, vana gentium idola et profana sacrificia abolita, et sincerum verumque tibi Deo vivo et vero cultum ac honorem restitutum esse; unde ego nunc immolo tibi sacrificium laudis, et reddo Altissimo vota mea. *Credo tibi, et spero in te, et amo te super omnia; meque ipsum tibi plenè resigno, et totius intellectûs, voluntatis et memoriae meae victimam tibi offero in holocaustum perpetuum; idque donec Adveniat regnum tuum, quod parasti nobis ab origine mundi, ô Rex magne, et Princeps regum terrae, qui regnasti à ligno, et principem huius mundi eiecisti foras; qui dilexisti nos, et lavisti nos à peccatis nostris in sanguine tuo, ut faceres nos regnum et sacerdotes Deo.*

O Iesu, Rex meus et Deus meus! ecce ego servus tuus et filius ancillae tuae, eligo te hodie mihi in hac communionem, seu sacrificio missae, in regem perpetuum; et offero me tibi in servum sempiternum. Tibi soli sacrificabo deinceps hostiam laudis, et nomen tuum invocabo.

Sit nomen tuum, Domine, benedictum, ex hoc nunc, et usque in saeculum.

II. EUCHARISTICUM.—*Fiat voluntas tua, Domine, Iesu Christe, qui venisti in hunc mundum ut faceres voluntatem Patris tui, et opus redemptionis nostrae, quod tibi dederat, perficeres. Unde et ad eam implendam factus es obediens Deo Patri, usque ad mortem, mortem autem crucis. Huius autem obedientiae merito, omnis gratia, salus et vita, et omnia in nos bona tam copiose redundant.*

Sed quid ego retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi? Scio nihil tibi gratius fieri posse, quam si voluntas tua per nos in omnibus fiat.

Ecce itaque in unione sanctissimi sacrificii tui, quo te aeterni Patris voluntati sponte subiecisti (oblati enim es, quia ipse voluisti), quodque ego nunc in hac communione, vel missa recolo; omnem voluntatem meam tuae libens et integrè subiicio, et hanc ab omnibus, ubique et semper, plenissimèque fieri percipio: idque in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, creationis, redemptionis, conservationis, gubernationis, etc. Benedic, anima mea, Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto eius, etc.

III. IMPETRATORIUM.—*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ò Pater amantissime, cuius infinita liberalitate Iesus Christus, Filius tuus, datus est nobis dux, medicus, pastor, nutritus, etc. Sic enim dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares.*

Qui ergo proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit, praesertim cum tantam eius fiduciam ipse nobis Filius suggerat, dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis?*

Numquid ergo, si petierimus panem, dabit nobis lapidem, aut pro ovo scorpionem?

Ecce nomen eius, et simul infinita merita sacrificii in cruce peracti, repraesento tibi, Pater aeternae; et rogo ut panem quotidianum des nobis, panem corporis, sed animae praecipuè: sub illo quidem petens omnia vitae

praesenti necessaria subsidia, ut melius serviamus tibi; sub isto, cibum animae, seu dona gratiae et quaecumque ad cor confirmandum pertinent; ne deficiamus in via quâ tendimus ad patriam, ubi satiabimur ab ubertate domus tuae.

IV. PROPITIATORIUM.—*Et dimitte nobis debita nostra. O Pater misericordiarum, apud quem habemus advocatum Dominum nostrum Iesum Christum, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris, et reconciliavit nos tibi in sanguine suo, cum se hostiam pro peccato in ara crucis obtulit! O pretium magnum! O copiosa redemptio, et satisfactio superabundans pro meis, imo totius mundi, peccatis!*

Hanc modo repraesento et offero tibi, ò pie Pater, dum in hac missa, vel communione, illius memoriam renovo.

Sed et victimam corporis et membrorum meorum voluntariâ mortificatione immolo tibi in sacrificium spiritûs contribulati. Cor contritum et humiliatum, Domine, ne, quaeso, despicias; sed respice in faciem Christi tui, qui peccata nostra pertulit in corpore suo, cuius livore sanati sumus.

Quid verò proderit nos à peccatis praeteritis liberatos esse, si non muniamur adversus futura? Rogamus itaque,

Et ne nos inducas in tentationem. Nam proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua. Domine, tu nôsti miseriam nostram et infirmitatem figmenti tui, et quod nihil possumus sine te. Rogo te per vim clementiae tuae, et propitiatorii illius sacrificii in cruce peracti, ut procul à nobis omnia scandala, tentationes, pericula, occasiones amoveas, per quae denuo nos ad peccandum induci posse praevides.

Absit, ut iratus nobis tradas nos in desideria cordis nostri; et tentationibus, quasi fluctibus maris expositos, sine rectore et remige iactari sinas. Quin tu, ò fidelis Deus! esto mecum in tentatione, et non permittas me tentari supra id quod possum.

Ad hoc offero tibi sacrificium corporis et sanguinis

tui, ut vires contra tentationes mundi, carnis, ac daemonis mihi praestes. Si tu, Domine, nobiscum, et pro nobis, nihil nobis nocere poterit.

Sed libera nos à malo. O Domine, qui neminem vis perire, sed omnes salvos fieri; mala quoque poenae, per quae in malum culpa, id est, offensam tui, et iacturam salutis impelli possemus, à nobis auferri petimus! Flagella iracundiae tuae, bella, famem, morbos, etc., à nobis clemens averte.

Agnosimus nos meritò haec pati, quia peccavimus in te fratrem, imo patrem nostrum, et iam non sumus digni vocari filii tui.

Attamen propter temetipsum, Domine, et propter nomen tuum, quoniam bonum est, amove à nobis plagas tuas, et omnia mala propitiatus averte; aut saltem fac, ut diligentibus te, omnia, etiam mala, cooperentur in bonum.

Hoc sine offero tibi, ó Iesu! sacrificium istud, seu communionem corporis et sanguinis tui, imo temetipsum, velut antidotum omnis mali. Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

FERIA III.

1. *Dirige intentionem.* O summe ac potentissime Deus! in laudem et gloriam supremae maiestatis tuae; in memoriam sanctissimae vitae, passionis ac mortis Iesu Christi, Salvatoris mei; in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis tuis, mihi indigno peccatori, et toti Ecclesiae tuae concessis; in propitiationem pro innumeris peccatis meis, pro salute mea, et proximorum N. N., pro solatio quoque defunctorum N. N., etc., ego indigus peccator, sanctissimi corporis et sanguinis Filii tui mysteria recolare, seu recipere cupio. Verè, Domine, in te solo totum est quod satiare possit cordis mei desiderium. Quid enim mihi est in coelo, et à te quid volui super terram? Nonne tu ipse eris merces nostra magna nimis?

2. *Actum elice contritionis.* Sed et sacrificium spiri-

tus contribulati, tibi, mi Domine, unà cum sacrificio et Sacramento corporis et sanguinis Filii tui, Salvatoris mei, humiliter offero. Doleo enim ex intimo corde, quòd te Deum meum, summe bonum, et in me tam beneficium, ac toties in Sacramento me rescipientem, unquam offenderim peccatis meis, praesertim talibus N. et N. quae tu nòsti, ó scrutator cordium! sed et miser ego peccator in amaritudine animae meae dolens confiteor. Utinam nunquam offenderissem te! sed cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias, tu qui amore nostrum dedisti nobis Unigenitum tuum, ut nos lavaret à peccatis nostris in sanguine suo.

3. *Exerce fidem.* Equidem credo firmiter, ó bone Iesu! et vivà fide profiteor, quia tu ipse, Deo Patri aequalis in gloria et potestate, verus Deus et homo, verè et realiter praesens es in hoc Sacramento. Tu enim ipsa veritas dixisti: *Hoc est corpus meum.* Credo quidquid dixit Dei Filius; nihil hoc veritatis verbo verius. Adjuva, Domine, incredulitatem meam, adauge mihi fidem.

4. *Exerce spem.* O Christe Iesu! sum quidem ego pulvis, cinis, et peccator; sed tu, Pater es misericordiarum et Deus totius consolationis. Quis unquam intellexit misericordias tuas? Nonne tu laborantes et oneratos vocas ad te, ut eos reficias? Nonne tu es refugium meum? ad quem ergo irem? Tu solus verba vitae aeternae habes; tu solus consolaris me in omni tribulatione mea. Sum quidem aeger et infirmus; sed tu es salus mea: non est opus benè valentibus medico, sed malè habentibus. Si solummodo pertransiens, curabas omnes; si umbra Petri curabat infirmos; nonne ego confidere debeo, quia, intrante te sub tectum meum, et in me habitante cum plenitudine divinitatis, sanabor ab infirmitatibus meis?

Igitur, cum nihil, te propitio, mihi conscius sim, surgo et vado ad te patrem, medicum et refugium meum, sperans quod haec communitio futura mihi sit fidei, spei et caritatis augmentum; contra insidias inimicorum meorum firmissima tuitio; turpium cogitationum effugatio; huius defectus et vitii N, exterminatio; operum

tibi placentium, et praesertim huius virtutis N. salubris efficacia; et tandem pignus futurae gloriae. Reposita est haec spes mea in sinu meo, quia miserator et clemens es tu, et in promissis fidelissimus.

5. *Exercee caritatem.* O dulcissime Salvator, Christe Iesu! quanta fuit tui vis amoris, quae te traxit è sinu Patris in hanc laeyrmarum vallem, ut humanam carnem assumeres, infinitas miserias, iniurias, imo crucem mortemque subires, idque solum propter miseros nos homines et propter nostram salutem!

O quantus amor! Damnae nos poteras, et salvare maluisti! Nos rei eramus, et tu innocens subis supplicium, ut reos liberes!

Ex amore itaque ad nos in carnem venisti, et demum abiturus ex hoc mundo ad Patrem, in pignus amoris, hoc Sacramentum nobis reliquisti, ut modo prorsus novo et mirabili semper maneres nobiscum; cuius deliciae sunt esse cum filiis hominum.

O Domine! quantum dignus es amari, qui tanta facis amore nostri! Diligam itaque te, Domine, fortitudo mea, refugium meum, et liberator meus.

O Deus caritas, qui in caritate manet, in te manet! cupio te suscipere in hoc Sacramento, ut tibi firmius uniar amoris vinculo. Quis me separabit à caritate Christi, Salvatoris mei? Utinam hoc, nec vita, nec mors, nec ulla fortunae sors, aut ulla creatura valeat!

6. *Exercee humilitatem.* Sed quomodo audeo accedere ad te? Nonne tu, ò Deus Dominus, Creator ac Redemptor meus, Rex coeli et terrae, etc. Et, quis ego: vilis terrae vermiculus, pulvis et cinis, et quod indignius est, toties erga te inobediens et ingratus peccator, etc. Verè, Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed memento, Domine, quia cum esses Dominus omnium, assumptà servi formà, venisti ad nos, et familiariter egisti cum publicanis et peccatoribus. Denique humiliasti temetipsum usque ad mortem. Illa, quaeso, te moveat humilitas, ut me vilem et humilem non despicias. Sed clementer ad me venias, aut venientem ad te benignè suscipias.

7. *Postula gratiam.* O Pater aeternè! per merita Filii tui, concede mihi gratiam dignè celebrandi missam, et recipiendi non solum Sacramentum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. Offero tibi humilitatem et sanctitatem gloriosae semper Virginis Mariae, fervorem et devotionem omnium Sanctorum, ut illorum merita suppleant quidquid mea non valet infirmitas.

Domine Iesu, propitius esto mihi peccatori; et sacris mysteriis corporis et sanguinis tui fac me ita dignè semper uti, ut copiosum inde fructum et robur contra omnes mundi, carnis ac daemonis insidias, consequar; vitia et haec N. maximè fugiam; virtutes verò statui meo maximè necessarias, velut caritatem, humilitatem, puritatem, etc., diligentius exerceam, et fidelius tibi in dies servire studeam.

Spiritus Sancte Deus, adsit mihi virtus tua, quae cor meum clementer expurgans, dignum Christo Domino praeparet in me habitaculum, sicuti fecit in beata Virgine Maria.

8. *Invoca beatam Virginem Mariam.* O sacratissima Virgo Maria, quae Spiritu Sancto cooperante, Deum et hominem purissimis visceribus concipere et portare meruisti; fac ut ego eum dignè in hoc Sacramento recipere et portare valeam, et ut consequar spiritum huius dilecti Filii tui.

9. *Invoca Sanctos.* O Sancti Dei omnes, et Vos praesertim dilecti Patroni mei! succurrite mihi, quaeso, precibus vestris apud Deum; ut sic illum nunc in Sacramento possim recipere, ut aliquando eum in propria specie vobiscum merear videre. Fiat, fiat.

FERIA IV.

1. *Adora et gratias age.* O dulcissime Salvator, Christe Iesu! *adoro te* in toto corde meo, et *gratias* ago tibi ex intimis visceribus animae meae, quòd tanta caritate nos miserè perditos redemeris pretio sanguinis tui; et in huius amoris tui memoriam, necnon in pignus futurae gloriae, tam admirabili potentià, sapientià et bonitate, dederis nobis in cibum et potum ipsum corpus et

sanguinem tuum. Denique ad haec divina mysteria, me vilissimum peccatorem in numerum servorum tuorum (*sacerdotum*) tua ineffabili clementia vocare dignatus sis.

2. *Confundere.* Vocatione mea vixi, et toties, et tam graviter te *Deum* meum offendi peccatis meis (praesertim his N.). At nunc de iis *doleo* ex intimo corde meo, ob *amorem tuum* super omnia; et deinceps tibi soli servire, placere, et adhaerere propono.

3. *Offer.* Proindeque nunc accedens ad mensam convivii tui, ex omni affectu cordis mei (*hoc sacrificium missae*) dignissimam hostiam corporis et sanguinis tui, quam tu ipse semel pro nobis in ara crucis obtulisti, puram et simplici intentione, *offero* ad laudem et gloriam aeternae maiestatis tuae, in memoriam sacratissimae incarnationis, vitae, passionis et mortis tuae.—In gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis, toti coetui electorum, et mihi, licet indignissimo, huc usque praestitis, vel unquam praestandis, in propitiationem peccatorum. Pro salute quoque fidelium vivorum N. N. et solatio defunctorum N. N.—Et utinam ex omni affectu, fervore et desiderio amicorum tuorum, seu iam regnantium in coelis, vel adhuc militantium in terris, hoc tam grande pietatis opus peragere possem!

4. *Crede.* Corde siquidem *credo*, mi Iesu, et ore confiteor, quia Pater aeternus, *Deus* seipso summè beatus, potens, perfectus, et nullius egens, secundum infinitam misericordiam suam, sic dilexit mundum, ut te Filium suum unigenitum nobis daret Salvatorem.—Credo quoque, quòd tu ipse Patri aequalis per omnia, ex vi immensae caritatis tuae, de sinu Patris descendisti in uterum Virginis, et propter nos homines *homo factus es*.—Credo quòd ex amore nostrum, hoc Sacramentum in ultima coena instituens, verum corpus et sanguinem tuum, id est teipsum, nobis ad manducandum dedisti. Et denique Patri tuo factus obediens usque ad mortem, temetipsum pro nobis hostiam in ara crucis obtulisti.

5. *Spera.* Ideoque *spero* in te, et magnam fiduciam venio

ad te, ò Domine, qui nostrum causam tam mira facere, et dira pati voluisti! Quid enim negabis, qui sic amasti, ut te ipsum dares?

6. *Ama.* Amo te quoque, ò bone Iesu! et tota virtute cordis mei; et semper deinceps, et in aeternum amabo, si tu dederis.

7. *Offer te ipsum.* Sed quid retribuam tibi, Domine, pro tanto munere, et pro omnibus quae retribuisti mihi? Ecce *abnego* memetipsum, et totum me, id est, corpus, animam, et omnia mea in omne beneplacitum benignissimae voluntatis tuae plenè resigno.—Verum quid habeo, quod non acceperim? Quid est homo, si comparetur Factori suo? Quid vilis creaturae, vermibus terrae, miser peccator, servus inutilis praestare poterit *Deo*, Creatori ac Domino suo?—Agnosco quia inops et pauper sum ego: ideoque *humilio* me sub potenti manu tua. Tu verò, ò Domine Iesu! utpote advocatus et mediator meus, dives in meritis et miserationibus, suscipe causam meam.—Et ex thesauro immensae caritatis tuae fer opem inopiae meae; et pretium sanguinis tui, omniumque meritum tuorum repraesenta aeterno Patri tuo: et hinc supple omnem defectum meum, praecipuè huius meae, heu! nimis modicae et imperfectae praeparationis, quàm ad haec sancta mysteria venio; ut sic ei per te placeat obsequium indignissimae servitutis meae.

8. *Postula.* Fac etiam, ò bone Iesu! per omnes miserationes tuas, ut hoc tremendum mysterium, et admirabile donum caritatis tuae, debitam semper fide, reverentiam et gratitudine prosequar, idque puro et ardenti corde nunc et semper recipiam, statum hunc quoque meum N. ad quem me, ex singulari gratia, vocare dignatus es, caritate, castitate, humilitate, mansuetudine, patientiam, sobrietate, etc., moribusque tibi placitis, et (*sacerdote*) fideli servo tuo dignis, excolere studeam, idque ut servitus mea magis tibi placeat, ad maiorem gloriam tuam, Ecclesiae utilitatem, et propriam proximique salutem.

Unde tandem supplex obsecro, ut per virtutem corporis et sanguinis tui abstrahas eor meum efficaciter ab